



## The Holy See

---

**IOANNES PAULUS PP. I LITTERAE APOSTOLICAE INTER SACRAS CATHEDRALE TEMPLUM KABGAYENSIS DIOECESIS,**

**DEO IN HONOREM BEATAE VIRGINIS IMMACULATAE DICATUM,**

**AD BASILICAE MINORIS GRADUM DIGNITATEMQUE EVEHITUR** Ad perpetuam rei memoriam. – Inter sacras Ruandae aedes eminere novimus cathedrale templum Kabgayensis dioecesis, Deo in honorem Beatae Mariae Virgins Immaculatae dicatum, quod anno MCMVI aedificatum praecipua fuit seder evangelizationis in eadem Africae regione et hac nostra quidem aetate notum est centrum Christianae ac liturgicae vitae necnon pastoralium socialiumque operum pro bono spirituali atque civili ipsius Nationis. Qua re, cum Venerabilis Frater Thaddaeus Nsengiyumva, Episcopus Kabgayensis, litteris die I mensis Augusti hoc anno datis, etiam cleri populique sui nomine petiverit ut templum idem titulo ac dignitate Basilicae Minoris honestaremus, Nos, tam sollertis sacrorum Antistitis precibus obsecundandum esse putamus. De sententia igitur Congregationis de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, quam ratam habemus, Apostolica Nostra potestate, harum Litterarum virtute perpetuumque in modum sacram aedem, de qua mentionem fecimus, titulo ac dignitate Basilicae Minoris decoramus, omnibus factis iuribus et liturgicis concessionibus, quae templis hoc nomine insignitis rite competunt, iis tamen servatis, quae iuxta Decretum «De titulo Basilicae Minoris» die IX mensis Novembris anno MCMLXXXIX editum servanda sunt. Minime vero dubitamus quin concessus honor haud parum adferat decoris tum isti cathedrali Ecclesiae, quam Nosmet Ipsi libentes invisimus anno MCMXC per Apostolicum Iter in quosdam Africae Civitates, tum sollemni iubilaeo, quo Kabgayenses fideles, Nobis carissimi, quintum et septuagesimum annum ab incepto Sacerdotio in Ruanda celebrabunt proximo die festo Immaculatae Conceptionis. Has denique Litteras sive nunc sive in posterum ratas esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXII mensis Octobris, anno MCMXCII, Pontificatus Nostri quinto decimo.* ANGELUS card. SODANO

*Secretarius Status* © Copyright 1992 - Libreria Editrice Vaticana

---